









R. g. 2. num. 6.

24

AXIOMATA PHILOSOPHICA,  
QUIBUS  
R A T I O,  
PRINCIPIUM JURIS  
NATURÆ  
UNUM, ADÆQUATUM, EVIDENS,  
ET INDEMONSTRABILE  
SISTITUR  
A B  
ANDREA SCHOTTO  
DANTISCANO.

M. ANTONINUS ad se ipsum L. IV. §. 13.  
*Ratione prædictus es? Sum. Cur ergo ea non uteris? hæc  
enim si, quod suum est, fecerit, ecquid est amplius, quod  
requiras?*

LIPSIAE,  
LITERIS BREITKOPFIANIS.  
M DCC XXXI.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALIE

5.



AUTOMATATHEOLOGIÆ

QUBUS

O T T O  
R A T I O  
P R I N C I P I U M I H R I S  
C O M P O S I T U M



O T T O  
A N D R E A S O T T O

D 1718 2000

M A N Y T O D A Y S  
L I B R A R Y  
U N I V E R S I T Ä T S - U N D L A N D S B I B L I O T H E K  
L A B E L L E A U T H O R I Z O N



L I B R A R Y  
L I T T E R A R Y S E R I E S P R E V I N G  
M DCC XXX

INCLUTÆ  
REPUBLICÆ DANTISCANÆ  
SENATUI  
SPLENDIDISSIMO:  
ILLUSTRI  
DOMINO  
BURGGRABIO REGIO,  
PER-MAGNIFICIS, MAGNIFICIS,  
GENEROsis, MAXIMEQUE  
STRENUIS  
DOMINIS, DOMINIS,  
PRÆSIDI,  
PRÆ·CONSULIBUS,  
ET  
CONSULIBUS,  
MÆCENATIBUS OMNI SUBMISSIONIS  
CULTU SUSPICIENDIS.

NEC NON  
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,  
ATQUE CONSULTISSIMIS  
DOMINIS, DOMINIS,  
DICASTERII PRIMARIAE  
CIVITATIS  
SENIORI,  
CON - SENIORI,  
AC RELIQUIS  
ASSESSORIBUS,  
PATRONIS ET EVERGETIS  
NULLA NON OBSRVANTIA  
ÆTERNUM COLENDIS.

V I R I,  
ILLISTRIS,  
PER-MAGNIFICI, MAGNIFICI, GE-  
NEROSI, MAXIMEQUE STRENUI;  
NEC NON  
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,  
ATQUE CONSULTISSIMI.

 Unquam non singularis Gratiæ,  
qua VOBIS, PATRES PÅ-  
TRIÆ, Dissertationi de MAN-  
DATARIO MANDATUM EXCE-  
DENTE, in cuius ventilatione, Studia jamjam  
aggressurus Academica, Respondentis subibam  
vices, interesse placuit, lætabundus recordor.  
Hoc etenim juvat, & melli est, ad MÆCENÄ-  
TES memori si mente recurro. Tantum tamen  
abest, ut Humanitas VESTRA illis se limiti-  
bus circumscribi passa fuerit, ut indies absens  
etiam nova Benevolentiae insignis expertus sim  
Testimonia. Subsidia a VOBIS, LITERA-  
TORUM TUTORES, in Academia hacce  
manu mihi exhibita largissima, non interruptum  
demonstrabant Patrocinium. Eadem Subsidia  
in præsenti humeris meis reddendarum rationum  
imponunt onus. Onere hoc, si tale nominandum,  
Axio-

*Axiomata præsentia Philosophica quadantenus  
me liberatura confido. Naturalem ea tangunt  
Jurisprudentiam; ad cuius indagationem ea po-  
tissimum me movit ratio, quod, Jus civile ex  
præceptis fluxisse naturalibus, sit in propatulo.  
Aquam cribro hauriunt, Juris naturalis præ-  
cepta sine principio perlustrantes. Principii  
itaque constitutionem primitiis laborum meorum  
reservavi. Hasce primitias VOBIS, PATRES  
PATRIÆ, ea, qua par est, offero humilitate,  
ne, tot tantisque provocatus Beneficiis, ea vel  
dissimulare, vel non agnoscere videar, quorum  
alterum ingratitudinis, alterum foret stuporis.  
Accipite easdem, nec indignamini, quod insigne  
illis decus TANTORUM VIRORUM  
præfixo accesserit Titulo. Permittite præterea,  
ut VOBIS, PATRES CONSCRIPTI,  
de anno pene ex hausto, nec non de die, anno  
redeunte festo, debita submissione gratuler. Ad-  
dite & banc Beneficii notam, ut de ulteriori Pa-  
trocinio sibi gratulari queat*

## *TANTORUM NOMINUM*

*Cliens obsequiosissimus*

*AUTOR.*

*AXIO-*



AXIOMATA PHILOSOPHICA  
DE  
RATIONE, PRINCIPIO JURIS NATURÆ  
UNO, ADÆQUATO, EVIDENTI, ET INDE-  
MONSTRABILI,

§. I.



Omo prædictus est anima. Quæcunque cognoscuntur, vel ad Entia composita, vel ad simplicia referri poterunt. Illa vocantur, quæ partibus constant; hæc, quæ iis destituuntur. Partibus constat materia. Spiritus, cum simplex sit, materiam non agnoscit. Hic itaque dicitur Ens materiae expers. Homo in se ante actiones, quandam ad illas inclinationem sentit, quam tamen actionum antecessit consideratio. Motus hos internos, materiale enim cogitationum est incapax, ad spiritum referre oportet. Hunc Spiritum animam nominamus, quam in omnibus hominibus naturaliter esse deprehendimus. Anima definitur a nobis, quod sit Spiritus, ratione atque voluntate sese exerens. \*

A 2

\* Audio

## AXIOMATA PHILOSOPHICA

\* Audio objicientes : Sp̄iritum a nob̄is cum animā confundi. Cel. enim WOLFFIUS *Metaph.* §. 896. eadem differentia specifica utitur in definitione Spiritus. Sed contrahant frontem adversarii, imitenturque Catonem ; nullam in philosophicis agnoscere dictaturam, atque solum rationis dictamen sequi, & nob̄is licet. Forsitan mente nostra distinctius exposita mitius judicabunt. En illam. Corpus est materiale. Spiritus Ens materiae expers. Nil itaque vetat, quo minus Spiritum materiae contradistinguamus. Prouti vero materia datur crassa & subtilis, ita in Spiritu, licet immaterialis sit, eandem distinctionem cum aliis assumimus, atque inter eius species constituimus animam, de cuius spiritualitate nemo facile dubitaverit. Putat equidem Dn. WOLFFIUS §. 898. *ex eo, si scilicet Spiritum dicamus omne id, quod expers est materiae, necessario hoc criturum esse inconveniens, ut animas brutorum, & monades Dn. LEIBNITII Spiritus vocare oportet.* Sed respondeamus: animae brutorum, & monades Leibnitianae aut materiales erunt, aut immateriales. Sin illud, quod tamen rejicit, accensendae erunt materiae. Sin hoc, quæ eius est sententia, prouti patet ex §. 75. 114. 127. 599. & 921, Spiritui adnumerabuntur crassiori. Nostri instituti ratio disquisitionem ulteriorem immaterialitatis monadum non patitur, hinc rationem potius suppeditabimus, cur definitionem hanc animae dederimus. Animæ hominum tribuitur immortalitas, negatur animis brutorum c. tr. §. 926. Differentia harum animarum ponitur in eo, quod tantum humanae ratione & voluntate gaudеant §. 892. imaginatio enim, sensatio, memoria & sensualis cupiditas animis brutorum conceduntur. §. eod. Fortius itaque solis animis hominum immortalitatem asserti posse, nob̄is videbatur, si præsenti definitione adhibita non Spiritus, qui potest esse crassior, sed anima brutorum prorsus negetur.

§. 2.

Anima ratione atque Voluntate se exerit. Nonnullos in homine ante actionem motus dari diximus §. i. qui motus accurate observantibus eius deprehenduntur successionis, quod præcedat repræsentatio boni, sequatur eius

eius acceptatio.\* Ille motus Ratio, hic appellatur Voluntas. Ratio est effectus animæ, voluntatem determinans per representationem boni. Voluntas autem: Effectus animæ aripiens representationem boni per rationem factam.

\* Eadem nobiscum fere sentit HOBBIUS de Cive c. 5. §. 1. ubi: *Manifestum est per se, actiones hominum a voluntate, voluntatem a spe & metu proficiuntur.* In eo tantum recedit, quod nostra ratio ipsi nominetur spes & metus. Hypothesi suæ, mutuo scilicet metui his inservire volebat, atque ideo causam moventem cum ipso motu voluntatis confundebat. Producit euidem ratio spem & metum in voluntate, non tamen ipse spes vel metus Voluntatem determinant.

## §. 3.

**Ratio est Effectus animæ.** Homo anima est præditus. §. 1. Hanc ratione sese exerere motus interni nos docent, qui, licet tantæ sint velocitatis, ut plerumque fugiant minus accurata intentione pensitantem,\* negari tamen nequeunt. §. 2. Si vero anima ratione sese exerit, rationem etiam animæ effectum esse oportebit.

\* Facillime resolvi potest argumentum illorum, qui rationem antecedere ex hoc fundamento negant, quod maxime exiguum temporis spatium determinationem voluntatis & ipsam intercesserit actionem. Cum enim motus in materia eximum velocitatis attingere queat gradum, quod observamus in agilibus Saltatoribus atque petauristis, quorum motus nostros fere oculos fugiunt, quando saepius repetitis actibus habitum sibi quendam acquisiverunt; multo magis in Spiritu, quem Thales velocissimum, v. DIOG. LAERTIUS de vit. Philos. Lib. 1. segm. 35. & SENECAE sideribus velociorem lib. 2. de benef. nominarunt, id concedendum erit, ubi gravitas particularum tantum non obstat velocitati. Concedimus momentum considerationis non semper penetrari posse, negamus tamen ex eo fluere, quod ratio non præcesserit, & hæc negatio fundatur in experientia petita ab indaga-

tione nostri eo tempore instituta, quo determinatio nondum substan-  
tanea evaserat.

§. 4.

**Ratio bonum repräsentat.** Omnis homo sibi conciliatur, atque perfectionem suam quocunque modo promovere fatagit; hinc contraria huic perfectioni declinat, cum iis intentio eiusdem destruatur: arripit Bonum, quod statum illius perfectiorem reddit. Contrariatur natura hominis, ut plenissime convictus deteriora sequatur. In quavis actione enim causa quadantenus excusans deprenditur, quæ, licet pravum eliciat effectum, speciem tamen boni mentitur. Hæc non nisi judicando detegitur; judicare vero est actus rationis: ipsa ergo ratio bonum repräsentat. Bonitas tamen illa & malitia non ipsis actionibus inhæret, cum ea ratione omnibus eandem actionem bonam, eandem malam esse oporteret, cui adversatur experientia.\*

\* Notissima est opinio Scholasticorum de perscitate actionum, quam impugnarunt ALBERTI in *Comp. I. N. orthod. Theol. conform. P. 1. c. 1. §. 42.* PUFFENDORFF in *I. N. & G. l. 1. c. 2. §. 6.* & Dn. THOMASIUS in *Jurispr. Div. l. 1. c. 2. §. 74. seqq.* Foverunt STRIMESIUS in *Epicrisi §. 3--11.* GROTIUS in *Jure B. & P. proleg.* & ad hunc Commentatores OSIANDER, HENNIGES &c. Dn. LEIBNITIUS in *denen Monathl. Auszügen von Ao. 1700. no. 4. §. 41.* Nos, illam Scholasticorum perfectatem locum habere non posse, vel ex his rationibus persuasi sumus. Primo enim actiones mutantur a circumstantiis, quæ petuntur ex persona, loco, tempore, & similibus. Sic reddere depositum, actio bona; si gladium vero furenti, aliam quamcumque rem in conspectu plurimorum, vel alicui, alias eo tempore meditanti oras tradiderim, actio evadet mala. Cum vero hæc actio semel bona; semper & ad semper secundum loquaciam Scholasticorum bona sit, necesse. Secundo: Exempla etiam gentium docent, actionem usi turpem alii fuisse honestam. Sic Ma-

gis.



gis; *LAERTIUS lib. 1. segm. 7.* imo ipsis Persis legitimum erat, misceri filiabus, quod græcis nefaritum existimabatur. Maf sagetæ uxores habebant communes: Græci eam communionem detestabantur. Cilices latrocinii: Græci non gaudebant. *Id. lib. 9. S. 83. 84.* Ægyptii nubunt Sororibus *DIOD. SICULUS l. i. hist.* has nuptias aliæ gentes dominant. Multorum populorum latrocinia approbantium exempla cumulata videsis ap. *PUFFENDORFFIUM l. 2. c. 2. §. 10.* De gentibus in genere quoad justitiam actionum differentibus v. *SEXTUS EMPYRICUS Pyrrhon. Hypotyp. l. 3. c. 24.* & *EUSEBIUS in præparat. Evangel. l. 1. c. 4.* Hoc tamen, posita actionum perseitate fieri non potuisset. *Quomodo enim ignis, habens natura vim calefaciendi, non alios quidem calefacit, alios vero frigefacit, & quomodo nix frigefaciens non alios frigefacit, alios vero calefacit, ita, quod natura bonum est, omnibus debet esse bonum, & non alii quidem bonum, aliis vero non bonum,* satis nervosè scribit *EMPYRICUS l. ii. adv. Ethicos. c. 3.*

## §. 5.

Ratio Voluntatem determinat per repræsentationem boni. Deprehendimus in anima inclinationem ad actionem. §. 1. inclinatio illa vocatur Voluntas. §. 2. Homo perfectioni studens bonum adpetit, non potest vero adpetere, nisi bonum illud fuerit repræsentatum, quod facit ratio. §. 4. Voluntas itaque determinatur a ratione.\*

\* *CARTESIUS* hunc ordinem infractus judicium tribuit voluntati, de quo tamen probe observat *Dn. THOMASius in Fund. J. N. & G. l. 1. c. 1. §. 97.* illum hac ratione confundere actus Voluntatis atque intellectus. Alienum quidem errorem egregie denudavit Vir ille doctissimus: Ipse tamen *d. l. c. 3. §. 12.* præjudicium, intellectum dirigere voluntatem in appetitu boni malive, & *c. 1. §. 96.* errorem nominat, rationem normam præscribere voluntati, & hanc eius dictatum sequi. Sed fefellit forte Eundem velocitas determinationis, de qua vid. *not. ad §. 3.*

## §. 6.

## §. 6.

Ratio non solum verum bonum repræsentat, sed etiam plerumque bonum apparens. Studium perfectionis bonum nos apprehendere jubet. §. 5. Ex actione quavis bonum aliquod commissione vel omissione in nos redundant. Si enim actio commissa prodest, non potest non omessa obesse, cum neglecta utilitas jam malum sit. Ut itaque commodum aliquod ex actione percipiamus, probe indagandæ erunt circumstantiæ, namque ex his totius actionis bonitas vel malitia dependet. Hæ circumstantiæ & lynceos sæpius effugiunt oculos, sæpiissime vero homines illos, quorum ratio altiori non adsuefacta est indagini. Evenit hinc committi actionem aliquando, in qua, detecta prius circumstantia, detegitur malum. Distinguitur ex hoc fundamento bonum in verum \* atque apparens. Illud adest: quando eventus representationi respondet, & nullæ circumstantiæ, perfectionem hominis impedientes, existunt. Hoc, ubi contrarium deprehenditur.

\* In tantum sane ratio nostra post lapsum corrupta non est, ut non aliquando verum ab homine arripi possit bonum. Hæ sunt reliquiæ imaginis illius divinæ. Potissimum tamen proh dolor! apprehenditur apparens, quod evitari poterit, si mature solidiori adsuefiamus ratiocinationi, nec fugitivo oculo perlustremus circumstantias. Hæ enim neglectæ malum, sive quod idem est, bonum producunt apparens.

## §. 7.

Bonum datur & generale & speciale. Prouti in omnibus hominibus convenientem non repereris faciem, ita & cogitationes hominum diversas esse, & quot capita, tot sensus dari, perpetratae produnt actiones, ipsaque testatur experientia. Alius enim Scientiam, alius voluptates, alius

## DE RATIONE, PRINCIPIO J. N.

9

alius opes, alius querit honores, eaque velut speciale ali-  
quod bonum accipit. Sed in eo consentiunt omnes quod  
optent perfectionem. §. 4. Hic communis consensus bo-  
num constituit generale, nominatum a Philosophis sum-  
mum.\*

\* Diversitas ingeniorum nec in ipsa Summi Boni constitutio-  
ne latitare potuit, quod CICERO lib. 2. de Fin. Bon. & Mal.  
hæc verba extorsit: *Sic diversas inter se Socratici de isto fine sen-  
tentias habuerunt, ut, quod vix credibile est, unius Magistri po-  
tuisse facere sectatores, quidam Summum Bonum esse dicerent  
Voluptatem, sicut Aristippus, quidam Virtutem, sicut Antisthenes.  
Hactenus Cicero. STILPO mentem nullis passionibus obnoxiam.  
v. STANLEJI Hist. Philos. in Stilpone P. 3. c. 2. DEMOCRI-  
TUS ἐν θυμῷ. LAERTIUS L. IX. Segm. 45. EPICURUS vo-  
luptatem. GELLIUS lib. IX. Noct. Att. c. 5. STOICI vir-  
tutem. CICERO I. de offic. EUCLYDES simile & idem semper.  
LACTANTIUS immortalitatem. v. LACTANTIUS L. III.  
Inst. div. c. 12; Summum constituerunt bonum. Et ne multo-  
rum allegatione nauseam excitem, adiri poterit AUGUSTINUS  
l. XIX. de civ. Dei. c. I. ubi ex Varrone 288. Sectæ de Sum-  
mo Bono possibiles citantur. Accuratius omnes illas opiniones  
perlustrantes, cognoscent, eas nil nisi perfectionem humanam in-  
culcasse, quam Summum itaque appellare Bonum, haud erit  
abs re.*

## §. 8.

Dominia per rationem introducta. Nisi ho-  
mines subito e terra fungorum more exortos fingamus, re-  
gressus docebit, aliquando exiguum tantummodo hominum  
extitisse manipulum, quem ad unum postmodum par redu-  
ci posse, dubium non est. Sed crescebant homines, & iis  
multiplicatis ratio distinctionis Dominiorum utilitatem o-  
stendit. Pertinet ad perfectionem, cui homines student

B

§. 4.



§. 4. sui conservatio. Hæc sine rerum usu obtineri nequit. Res itaque occupandæ erant. Cum tamen primis temporibus vix homines rebus sufficerent, dominia prius rerum majori hominum numero existente invaluerent. Tum enim alii rebus occupatis inhiabant, easque, possessori invidentes, \* vi eripere conabantur. Sed poenam injustæ aggressionis in Servitutem adacti luebant, atque familiam ex ascendentibus & descendantibus prius formatam Servis adaugebant. Non negamus, Patres fam. ope eorum Servorum postea alios jugo subdidisse. Hoc tamen adjicimus, bonum verum fuisse occupationem feliciter defensam, apparen̄s, invasionem, quam molestum exceptit Servitutis jugum.

\* Ex hoc fonte probabilius nobis visum est, haurire scaturigine servitutis, quam ex inopia atque abundantiae rivulis. Invidia enim hominis quasi comitatur naturam, cum inopia primis temporibus supponi nequeat. Hoc servitutis genus naturale agnoscimus, Servos vero natura dari vix ac ne vix quidem persuaderi possumus, nisi servitutem deducere velis ex dominio affectuum, quando aliquis secundum LACTANTIUM L. V. c. 18. captivus dicitur a vitiis. Egregie Servorum natura nullitatem ostendit H. L. WERNHERUS Diff. de æqualitate Hominum in Statu naturali quam vidēsis in J. B. WERNHERI Analectis J. N. & G. add. GROTIUS L. II. c. 22. §. 12. & L. III. c. 7. §. 1. THOMASIUS in Jurispr. div. L. II. c. 4. §. 17. ZENTGRAVIUS circa locum ARISTOTELIS Polit. L. I. c. 2. unde potissimum hæc Servitus natura talis depromittitur, monet, explicandum eum esse secundum mentem Philosophi, de serviendi aptitudine & servili ingenio, non autem de eo, quod Jus Nat. sancit tr. de orig. ver. & oblig. Juris G. art. 6. §. 6. p. 249. junge CICERONEM in Paradoxis.

### §. 9.

Post Dominiorum introductionem homines coivere in Societates. Hactenus familias singulas

## DE RATIONE, PRINCIPIO J. N.

las consideravimus, nunc ulterius gradiendum erit. Ad perfectionem hominum etiam pertinebat, ut secure viveant, nec ex aliorum invasionibus metum conciperent. Multis autem in possessione alienarum opum, vi licet atque injuria extortarum, bonum constituentibus, quod, ob representacionem boni apparentis a ratione suppeditatam §. 6. facillime contingebat, dominia introducta §. 8. vix melius conservari poterant, quam vocatis in Subsidium aliis. Non unaquaque videlicet familia eius erat potentia, ut inquis aggressoribus manum filiorum, numerumque Servorum opponeret insignem, hinc aliorum adjutorio adaugendum erat robur. Supererat tamen aliquod adhuc inconveniens, quod longinquitas in subsidium vocati damno, repentina incursione dato, praesentem denegaret medelam. Aliud itaque medium arripiendum erat. Inibant scilicet homines Societatem, atque domicilia quam arctissime connectebant.\*

\* Ex hac Societatum origine, ordine naturali deducta, facile patet, quo jure ALBERTI c. tr. P. 2. c. 14. §. 1. statuerit, extirras etiam fuisse Republicas in Statu integratis. Imperfected enim hominum, securitatem aliorum turbantium, ansam Societati dedit: imperfectionem autem in Statu integratis statui posse, non sanus dicet Orestes. Otium nobis in refutatione eiusdem fecerunt THOMASIUS in *Jurispr. div. P. I. c. 2. §. 37. seqq.* WERNERUS l. cit. Diff. VI. §. 16. & PUFFENDORFIIUS in *Spir. cil. controv. c. 2. §. 9.*

### §. 10.

Societas, ad obtinendam eo melius Securitatem, superiorem constituerunt. Homines sux consulturi securitati, Societatem inibant §. 9. quam studium perfectionis omnibus commune §. 4. non diu in eodem reliquit Statu. Quidam in bono Speciali enim, honoribus

## AXIOMATA PHILOSOPHICA

scilicet, perfectionem præsumebant. §. 7. varia hinc media ad illum finem ducentia excogitabantur, partim aperta, partim clandestina. Aperta: robustos induendo Venatores,\* atque familiam suam indies subjugatis adaugendo. Clandestina: Modestia, \*\* affectata aliquando humilitate, imo liberalitate, aliorum sibi devinciendo animos, iisque jugum imperii leve ac necessarium repræsentando. Hanc persuasionem securæ Societates, sine Superiori securitatem conservari posse, dubitabant, hinc alicui imperium oblatum. Non dubitamus, primum imperium fuisse monarchicum \*\*\* cum vix eodem tempore plures de Majestate ad se trahenda consensisse, probabile fit.

\* Talis Nimrod *Gen. X. 9.* coram Domino fuisse dicitur, cuius etiam *Venatio v.seq.* quodammodo his verbis explicatur: *Fuit autem principium regni eius Babylon.* Loquitur etiam de mediis apertis *TACITUS Ann. III.* in hunc modum: *Postquam exiū equalitas, & pro modestia ac pudore, ambitio & vis incedebat, provenerunt dominationes multosque apud populos aeternum mansere.* add. *Tom. I. Obs. Hallens. obs. 19. §. 17. p. 302.* ubi de imperio per Cainitas introducto.

\*\* Talis origo imperio tribuitur a *JUSTINO l. 1. hist. c. 1.* *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat, quos ad fastigium huius Majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.*

\*\*\* Idem uobiscum sentit *Dn. GRIBNER in princip. Juri spr. nat. L. II. c. 1. §. 5. n. 2.* quando ait: *Regna antiquiora esse probabile est ceteris imperiorum formis.* Nec aliud innuere videtur locus *Gen. X. 8.* *Nimrod caput potens esse in terra,* ubi, *capisse,* primum, *Nimrodi solius mentio unicum fuisse denotat.* add. *Justinus d. I.*

§. II.



## §. II.

Constituto Superiore Jus civile originem cepit. Post introducta dominia §. 8. atque initas Societates §. 9. optime securitati constitutione Superioris consuli posse, hominibus fuit persuasum. §. 10. Ab hoc requireretur, ut conservaret Securitatem, cui fini obtinendo necessaria erant media. Horum primarium erat obedientia Superiori a Subjectis præstanda. In statu naturali ante Superiorum constitutum, homines æquales, neminique præter ipsam Rationem, omnium voluntatem determinantem §. 5. erant obnoxii. Eam sequebantur, eius fascibus omnes submittebant actiones. Cum autem ab externis pravorum insultibus hæc obedientia Rationi exhibita debiles liberare non posset familias, aliquie eam ob causam imperium demandaretur, eo ipso quoque concedebatur potestas mandata patefaciendi, quibus voluntas Subjectorum ad commissiōnem vel omissionem actionis determinaretur. Ast protuti voluntas olim nihil a ratione, nisi sub specie boni repræsentatum, arripiebat, §. 5. ita & præsumtio ratione superioris aderat, illum id tantummodo præcepturum, quod rectum foret. Rectam esse actionem inde elucescit, quando consequentia testantur, illa perfectionem hominis vere fuisse promotam. Subjectis itaque, quibus cogitationes Superioris penetrare datum non erat, voluntas eiusdem promulgabatur, quod promulgatum ex eo, quia civibus factum erat, Jus vocabatur civile. Antequam vero huius definitionem exhibeamus, jus \* prius in genere definiemus. Est illud omne id, quod Voluntatem hominis determinat ad actionem rectam.

\* Variae juris dantur acceptiones, quas prætermittimus, cum ex dictis luculenter patefcat, sermonem nobis hoc loco esse de Jure,

## AXIOMATA PHILOSOPHICA

quod alii *legis* nomine audit. Possunt tamen reliqui istius vocis significatus legi apud G R O T I U M L. I. C. 1. §. 3. seqq. nec non in L. II. & 12. ff. de J. & J.

## §. 12.

**Posito Jure, ponitur obligatio.** Constituto Superiori §. 10. potestas Jus condendi concedebatur, quod Jus voluntatem Subjectorum determinabat ad actionem rectam. §. 11. Ast nullum sibi superior in determinatione Voluntatum polliceri poterat successum, nisi a parte Subjectorum quædam foret persuasio, actionem præceptam esse optimam, atque omissioni eiusdem inevitabile adhærere incommodum, quæ persuasio obligationis nomen induebat, atque definitur, ipsa ad actionem rectam determinata Voluntas.

## §. 13.

**Denominatione Jus civile, tempore Jus naturale primas sibi vindicant partes.** Constituto Superiore Jus civile originem cepit. §. 11. cui respondebat obligatio Subjectorum §. 12. relicta ab his determinatione voluntatis mandato Superioris, quod illo in locum velut Rationis substituto fieri oportebat. Sine Superiore homines viventes sequebantur naturam, atque ordinem servabant naturalem; requisito autem Superiore ad conservationem Securitatis, ordo civilis, & huic respondens Jus civile, introducebatur. In statu naturali juris nomine opus non erat, una enim methodo omnes actiones perpetrabantur: Civili itaque reservabatur statui illa denominatio, & juris civilis nomen hominibus demum. Jus naturale notum dedit, licet ipsum ante civile viguisse. Sed ipsæ utriusque Juris nos vocant definitiones. Jus naturale est: Ratio Voluntatem hominis determinans ad actionem rectam.\* Jus civi-

civile: Voluntas Superioris declarata, Subjectorum Voluntatem ad actionem rectam determinans. \*\*

\* Aliam, multisque gradibus differentem definitionem suppeditat **J U S T I N I A N U S** Imp. pr. *Inst. de J. N. G. & civ.* quæ repetitur *L. I. §. 3. ff. de J. & J.* *Jus naturale est id, quod natura omnia animalia docuit.* Putat **P U P P E N D O R F F I U S** *L. II. c. 3. §. 2.* *ortam esse definitionem illam vel ex opinione de anima universi, vel ex alia huic affini de μετεμψυχώσει,* **L U D O V I C I** autem in *dclin. hist. J. N. §. 14.* *Fundamento Philosophie Stoicæ, quod bruta etiam ratione gaudeant, niti credit.* Defensione eadem non indigna judicata est a nonnullis; sic peculiari Dissertatione ante aliquod temporis Spatiū in hac Academia approbata fuit. Paucis, brevitati studentes, nos expediemus: Maxime evidens est nimis confusio Juris Naturalis a **T R I B O N I A N O**, si mavis, cum instinctu naturali facta, quod etiam Exempla allegata d.l. *conjunctionis maris cum fœmina, procreationis liberorum, eorumque educationis evincunt.* confer. **Dn. T H O M A S I U S** in *Fund. J. N. & G. l. i. c. 5. §. 79.* **H O P P I U S** in *Comment. ad Inst. ad l. cit.* **P H I L. M E L A N C H T O N** in *Epit. Phil. mor.* eadem sentit p. 97.

\*\* Hanc definitionem eius credidimus esse perspicuitatis, ut ulteriori superlederimus demonstratione. Id tamen siccō noluimus præterire pede, male a **Z E P P E R O** atque **M A C C O V I O** in *tr. de LL. Mosaic.* requiri, ut jus civile secundum normam Legum Judaicarum formatum sit, quapropter etiam notantur ab **O S I A N D R O** in *Grot. L. I. c. 1. obs. ii. tb. 17.*

### §. 14

**Jus Naturæ est ratio \* Voluntatem hominis \*\* determinans ad actionem rectam.** Omne id, quo Voluntas hominis determinatur ad actionem rectam, jus vocatur. §. II. Homo secundum naturam agens rationis sequitur dictum. §. 5. quæ voluntatem determinat. §. eod. ratio itaque Jus erit. Determinatio vero illius cum fit naturalis,

Jus

Jus etiam erit naturale. Repräsentat ratio naturaliter bonum & verum & apparet. §. 6. Jus autem voluntatem ad actionem rectam determinat. §. 11. Actio recta atque bonum verum coincidunt; ubi ergo ratio bonum verum repräsentat, atque ad id Voluntatem determinat, homo agit secundum Jus Naturæ, si minus, peccat in idem.

\* Nec olim hanc vocem loquentes de Jure Naturæ respuerunt Philosophi. Sic M. ANTONINUS ad se ipsum L. VII §. 9. Est Lex una, ratio nempe *animantium omnium intelligentium communis*; Sic CICERO L. 1. de LL. Lex est ratio summa insita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda sunt. Et prohibet contraria. add. L. 2. de LL.

\*\* Rationem Hominibus, non brutis datam esse, multi ad unguem demonstrarunt, vid. loco omnium WOLFFIUS in Met. §. 869. ibique loca alleg. Nec tamen defuerunt alii, quibus contrarium tueri, brutisque ratione in adserere placuit. Quidam enim brutorum Patroni ex ipso S. Fœdere asylum brutis quæsivere, quos refellit PUFFENDORFFIUS L. II. c. 3. §. 3. Imo RORARIUS in tantum suo indulxit genio, ut peculiari tractatu, *bruta melius ratione uti homine*, ostendere conaretur. Qui conatus tamen non est effectus, ut Exemplis adducatis, quæ maxima ex parte ex Autribus non omni Exceptione majoribus, prout etiam adnotavit RIBOVIVS in notis, consarcinavit, aliis asserti sui veritatem persuadeat. Haud inepte eundem cit. RIBOVIVS speciali, priori tractatu adnexa Dissertatione historico-politica de anima Brutorum egregie scripta strinxit. Integra controversia circa quæstionem: *An Jus Naturæ cadat in bruta*, a veritate huius Theseos dependet. Rationes adversariorum cumulatae illud sane extorquent pronunciatum Viro Eruditissimo Dn. GRIBNERO in proleg. Jurispr. Nat. c. 3. §. 5. n. 2. Ex iis, quæ ratio suppeditat, argumentis, nec negari nec affirmari potest. Longe aliter sentit WERNHERUS, qui in Dissertatione de bruto Exlege quinque rationibus bestias a jure N. excludit. Et has eidem rationes magis cordi fuisse credo, quam rationem illam THOMASIO, qui ideo, quoniam bruta non opus habent,

bent, homines vero ob stultitiam lege naturæ indigent, illis dene-  
gat Jus N. in Fund. J. N. & G. L. i. c. 3. §. i. not. † Nos cum  
WERNHERO facimus, brutis rationem denegantes. Eo tamen  
cum C A R T E S I O eiusque asseclis non prolabimur, ut iis omne  
non solum ratiocinandi, verum etiam sentiendi adimamus faculta-  
tem. confer. CLERICUS L. IV. Phys. c. 12. add. ANT. le GRAND  
Diff. de cognitionis & sensus carentia in brutis, qui hanc ob cau-  
sam merito notantur a CLERICO d. l.

## §. 15.

**Jus Gentium non datur.** \* Homines confide-  
rantur vel in statu naturali, sive æqualitate, vel post intro-  
ducta dominia & constitutum Superiorem, in statu civili.  
Illi statui Jus naturale, huic respondet civile. §. 13. Nul-  
lus hominum remanet, non includendus alterutri horum  
Statuum. Ipsæ Societas sine superiori spectatæ ad statum  
naturalem, cum illo, referuntur ad civilem. Alii Juri ta-  
men, Gentium scilicet, patrocinaturi, statum etiam tertium  
Gentium fingeant, num jure id fecerint, videamus. Posi-  
ta gente, ponitur forma imperii, quam Monarchicam, Ari-  
stocraticam, sive Democraticam nomines, nihil interest.  
Sufficit nobis, adesse Superiorum. Huius voluntas Subje-  
ctos determinans ad actionem rectam vocatur Jus civile  
§. 13. Quodcunque itaque sancitur a Superiori, quem in  
Democratiis ipsa gens exhibit, si sanctio illa concernat ali-  
um Superiorum, Juris erit naturalis; si vero Subjectos suos,  
Juris civilis; Subditos alius non nisi voluntas proprii Supe-  
rioris stringit, quamdiu limites imperii non transgrediun-  
tur: si transcendunt fines, eius voluntati, cuius adeunt ter-  
ritorium, subsunt. Peregrinis autem talibus ubi conceditur  
inviolabilitas, hæc reduci poterit ad meram Voluntatem  
Superioris, per consequens ad Jus civile. Præter Superior-  
rem,

C

rem, Subjectos, atque peregrinos nullus superest in gente: Eorum actionibus autem Jus civile & naturale adaptatum; Jus ergo Gentium exulabit.

\* Paradoxon hoc primo intuitu multis videbitur, quibus ab antiquitatis cultu recedere, religioni ducitur. Quamvis enim multis Juris Nat. Scriptoribus divisio Juris in naturale, Gentium & civile non arriserit, Jus G. ab iisdem tamen relatum fuit velut species ad naturale, prout fecerunt HOBBIUS de Cive c. XIV. §. 5. PUFENDORFFIUS L. II. C. 3. §. 22. RYSEL de J. N. & G. c. 7. §. 15. & c. 27. §. 4. seqq. THOMASIUS in Jurispr. div. L. I. C. 2. §. 101. seq. GERHARDI in delin. J. N. L. I. c. 8. §. 58. Alii sane audaciores fuerunt. Sic Dn. GRIBNERUS L. 3. c. 1. §. 3., Jus gentium partem Juris Naturæ nominavit. SCHARRICKIUS de offic. sec. J. N. c. 10. no. 1. p. m. 448. A Jure Naturæ Jus Gentium nec quicquam differre pronunciare ausus est. Hos a nostra Sententia abesse non perspicio, colligo potius, eo redire sensum eorum quod ab aliis relata ad Jus Gentium, referri non solum possint, sed & debeant ad Jus naturæ. Hoc in antecessum monito, jam ad ipsos, Jus Gentium singulare statuentes nos convertamus. Inter eos sine dubio primum meretur locum Imp. JUSTINIANUS, qui Titulum in Institutis nobis reliquit de Jure Naturæ, Gentium & civili, in quo Jus Gentium a Jure Naturæ studiose distinguit. Verum quanta etiam sedulitate in dicto titulo differentiam inculcavit, eius tamen §. 11. Inst. de R. D. obliviscitur, dicens: *Quarundam rerum Dominium nanciscimur Jure naturali, quod, sicuti diximus, appellatur Jus Gentium.* add. §. 1. 4. & 5. Inst. d. tit. Huic contradictioni opem laturi Commentatores, distinguunt inter Jus Naturæ primarium atque secundarium, illud Jus naturæ stricte sic dictum, hoc appellantes Jus Gentium. v. VOTIUS ad Inst. & HOPPIUS in Comment. ad d. 1. Sed objicio: Si Jus Nat. est Jus gentium primarium, quomodo extendi poterit ad animalia quæcunque, prout factum pr. Inst. de J. N. G. & civ. Non spero, bruta quoque Gentibus accensitum iri. Regeris: Unius positio, non est alterius exclusio. Respondeo: Hæc regula non valet, si speciatim aliquius & determinate quasi mentio fiat, velut in Jure primario vocis:

cis: *Gentium*. Et quid respondebis; si eandem regulam ad *Jus Gentium* secundarium, illi bruta adnumerans, applicem. Satis cordate Dn. HOPPIUS c. l. ait: *Distinctio hæc, licet a multis ex recentioribus improbetur, retineri tamen potest ad explicandos variis Juris textus, in quibus promiscue fere Juris N. & Gent, vocabula occurrunt*. Idem, acsi dixisset: Ne antinomiæ reperiantur in Jure, opus est hac divisione. Sed ipsa forsitan *Juris Gentium* exempla, eius nobis ostendent valorem. Producit Imp. *Bella, captivitates, servitutes, atque contractus* §. 2. *Inst. d. t. conf. L. 4. & 5. ff. de J. & J.* Nemo saniorum in dubium vocabit. captivitates atque servitutes bellorum effectum esse & consequens. Hinc tantummodo ostendendum erit, bella Juri naturali non esse contraria. Ipsi lubentes concedimus, contrariari bellum quoad injuste gerentem Juri Nat., hoc enim actionem rectam poscit. §. 14. eo tamen casu bellum, uti vocant, offensivum, non defensivum Juri naturali adversaretur. Quamvis pro ratione causæ justæ bellum etiam offensivum justum, ac secundum *Jus naturale* institutum esse queat. *Ab utraque autem parte justum bellum dici non posse*, bene observat GROTIUS L. II. c. 23. §. 13. Sed ad rem nos accingamus. L. 3. ff. eod. *propulsatio vis atque injuria accensetur Juri Gentium*, quod, bellis eo relatis, eadem enim utriusque fere est natura, non poterat non fieri. Hanc primum injusta *Juris Gentium* possessione turbabimus. Observamus in brutis, ea vim corporibus intentatam quoquaque modo arcere, cuius probatione quotidiana nos liberat experientia. Illa itaque *propulsatio* aut referenda erit ad *Jus Naturæ*, aut bruta gaudebunt Jure *Naturæ*. Posterior nullo modo concedetur, cum *Juris naturalis* diversitas a Jure *Gentium* collocetur in eo, quod *illud animalibus omnibus, hoc solis hominibus commune sit*. L. 1. §. fin. ff. eod. Ergo prius concedendum erit. Propulsionis autem naturam bellum sequitur, cum in eo tantum differat, quod ibi singuli hic plures congregati oacurrant, proinde accensabitur Juri *Naturæ*. Nolumus hic prolixiores esse, cum ipse GROTIUS l. 1. c. 2. §. 1. 2. 3. *rationibus, historia atque consensu gentium* satis evidenter ostenderit, bello *Jus Nat. non repugnare*. add. PUFFENDORFFIUS L. VIII. c. 6. §. 2. THOMASius in *Jurispr. div.* L. I. c. 1. §. 105. GRIBNER L. III. c. 8. §. 1.

atque ibi citati. Imo quis tam peregrinus est in Studio Juris naturalis, ut ignoret bellum omnium contra omnes Hobbianum, quod statui naturali naturaliter adhærere asserit H O B B I U S c. 1. §. 13. De contractibus monemus, illos, ubi ratione, ad Jus Nat. ubi vero voluntate Superioris introducti fuerint, ad Jus civile referendos esse. Ast nondum omnem movimus lapidem; Accedunt alii classicum canentes, quorum Duces videmus ZENTGRAVIIUM, A L B E R T I atque G R O T I U M. Tela vibrant. Excipienda sunt. Jus gentium singulare deducunt ex pacto gentium, non expresso, id enim non famus credet Orestes, verum tarito atque præsumto. v. Z E N T G R A V I U S art. VII. §. 3. seqq. & A L B E R T I P. II. c. 18. §. 4. 6. Si quæras: Quasnam subintelligent gentes, cum diversitas moralitatis actionum inter gentes, secundum not. ad §. 4. omnium consensum, atque pactum universale non admittat? Illico respondent: Moratores. conf. Z E N T G R A V I U S Art. VIII. §. 3. & A L B E R T I l. cit. Quæ igitur moratores illæ gentes erunt? En nodum Gordianum, cuius solutio solis huius doctrinæ propugnatoribus relictæ est. His lynces oculorum ingenii acuminæ vincere datum est, cum alii, talpis se similes esse, profiteantur. Audi P U F F E N D O R F F I U M, cuius locum, certamen gentium circa mores illustrantem, integrum adjicere, operæ duxi pretium. Quæ gens, ait L. II. C. 3. §. 7. cui aliqua se ipsam conservandi ratio constat, ultero se barbarem agnoscet? Aut quæ tantum sibi tribuet, ut ad suos mores reliquias omnes exigi putet; quæ ab ipsis discrepaverit, eam barbarem declarat? Quondam græculorum arrogantia reliquos omnes, tanquam barbaros despiciebat. In eum fastum dein Romani succedebant. Hodie pauci quidam populi Europæ id nobis sumfimus, ut cultura morum reliquis superiores nos feramus. Ast dantur ex adverso populi, qui se nobis longe præferunt. Jam dudum a Chinensibus Europæ unus duntaxat oculus relictus, cœteri cœxitatis damnati; Nec desunt, qui literas, quibus nos excollendis tantam operam impendimus, cavillantur, velut subfidium nostræ bebetudinis; cum quorundam aliorum ingenia citra cultum literarum naturali bonitate enitescant. Neque semper literæ bonos mores fortiuntur comites. Sed & quædam Nationes otioso appetatu inanum aut superfluarum rerum vehementer sibi placent, despe-

*despectis iis, quibus simplicior vita degitur. Atqui saepe apud hos quam illos major morum innocentia.* Hæc Puffendorfius add. THOMASIUS in Fund. J. N. & G. l. i. c. 5. §. 71. seqq. Concludere possumus ex dictis, num *moratores gentes* determinari queant. GROTIUS equidem l. 3. c. 4. §. 19. eas nominat *meliores*, & §. 16. *Gentes Europæas*, & si quæ ad Europa melioris cultum accedunt. Verum, cum nemo non benignus *sui judex* sit, pronuntiante SENECA L. II. de benef. & ipsa hominum testante natura, omnes se accedere credent ad cultum illum melioris Europæ, & Jus Gentium ex pacto inter moratores deducendum vacillabit. Vacillanti subvenit GROTIUS aliud medium cognoscendi proponens L. II. c. 18. no. 4. *judicia scilicet Sapientum ac conjecturas.* An nodum solverit, dubitamus, magis adhuc implicuisse nobis videtur. Ibi gentes, hic omnes atque singuli *judicium sibi vindicabunt & sapientiam, imo rem acu tetigisse sibi persuadebunt.* Quid conjecturis hic dandum sit, aliis relinquimus, præsertim cum Exempla Juris gentium trahi possint ad Jus naturale. Vires adversariorum redintegrare conatur HENNIGES ad Grotium l. i. c. 1. §. 14. novum adferens argumentum. Deduci posse putat Jus Gentium *ab ipsa indole civitatum, earumque structura, a relativa eorum conditione, & a mutuo, coequo indissolubili, quo colligantur nexu.* conf. WERNHERUS Diff. 3. §. 5. Verum nec hæc axio- ma nostrum destruit deductio. Nil enim vetat, quo minus actiones Gentium ad Jus referantur naturale, imo nostram potius thesin ex naturali illo nexus probare possemus, cum naturalis ille civitatum nexus non alias tantum, sed omnes gentes tangat; Jus autem Gentium ad moratores tantum spectare afferunt. Pauca adhuc asseruisse non pigebit: Nimirum si Jus Gentium trahitur non ad omnes Gentes, sed ad alias, sequitur, olim confusa fuisse Jus civile Romanum, & J.G. Iis enim temporibus cum Imp. se *orbis Dominum* nominabat, multæ Gentes Juri civili Romano subjacebant, inter quas sine dubio nexus aderat civitatum.

## §. 16.

Actiones humanæ habent aliquod Princi-  
C 3 pium.

pium.\* Effectum testari de causa notissimum. Quamplurimæ autem reperiuntur causæ, quas respectu aliarum causarum velut effectus intueri oportet. Ipsa tamen natura regressum in infinitum abhorret, hinc in aliqua tandem causa, adhibita illa cautela, quod eandem non extra naturam effectus prorsus quæramus, subsistendum erit, quæ causa vocatur principium. Definitur illud, quod sit: Causa prima ad quam omnes effectus proprii reduci, & ex qua deduci possunt.\* Actiones humanæ effectus sunt, quapropter effectuum etiam sequentur naturam, & in illis principium statui poterit.

\* Negleximus divisionem in principia essendi atque cognoscendi, satius ducentes, relinquere eandem Metaphysicis atque Scholasticis. Multos etiam Juris N. Doctores eam neglecturos fuisse, non dubitamus, nisi illa adhibita paucis in refellendo Principio Juris Nat. Voluntate scil. DEI, sese expedire potuissent. Nobis in refutatione illius alia incedere via placuit.

### §. 17.

**Principium debet esse unum.**\* Omnes effectus deduci possunt ad causam primam, quæ vocatur principium. §. 16. Plures autem causas primas statuere, contradictorium est, pluralitas enim naturæ primi adversatur. Imo tales causæ plures, effectus erunt causæ unius, ad quam relatio possibilis. Post quam relationem tandem in prima acquiescimus.

\* Peccant in hoc principii attributum, nonnulla Juris Nat. principia assumentes. Sic RUDDEUS *Philos. pract. P. II. C. 4. S. 1.* §. 26. 27. 28. tria: *Deum cole, temperanter, & socialiter vive:* Totidem MULDENERUS *Disp. de Juris Nat. definitione & fun-*

fundamento : Deum cole , philavtiam exerce , & Societatem cole ; Hebræi Septem præcepta Noachica . v. SELDENUS de J. N. & G. juxta discipl. Hebr. l. i. c. 10. totidem numero principia , quæ vocat immortalia SCHARROCKIUS c. II. no. 12. p. m. 132. PH. MELANCHTHON in Epit. Phil. mor. p. 77. & 97. nec non GEO. CALIXTUS in Theol. mor. de LL. Decalogum ; Gratianus legem & Evangelium. Diff. i. statuunt. Sola unitas horum principiorum obstatet veritati . Verum magis eorundem nuditas apparebit illi , cui ad sequentia attributa , velut ad lydium lapidem ea applicare , placuerit. His jure adnumeramus eos , qui , non opus esse , statuunt , ut unum constituant principium. Sic KULPISIUS in Colleg. Grot. Ex. i. Th. 5. plura principia , eademque simul diversa genuina esse posse censet : Et PAGENSTECHER in Syll. Dissert. Diff. i. p. 27. nullam rationem depositulare putat , cur principium cognoscendi , unicum esse debeat . Quam ferio rem egerit , videre est ex sequentibus , dum p. 30. nihilominus principium unum , Amorem ponit. Ipse etiam Dn. KULPISIUS prius dictis tantum non fudit ut Th. 7. non assumeret , custodiam socialitatis .

### §. 18.

Principium debet esse adæquatum. \* Adæquatum dicitur , quando nec adduntur nec omittuntur effectus. Non omitti debent , cum omnes effectus ad causam primam reducti principium constituant §. 16. Verum nec adjectio in principio ferri potest , effectus enim requirabant proprii. Sin autem effectus alieni causam illam primam etiam agnoscunt , priores effectus non erunt proprii , proinde nec ista causa principium .

\* In hunc offensionis impingunt lapidem *custodiam Socialitatis* pro principio venditantes. Glaciem in eo aliis fregerunt GROTIUS proleg. §. 8. & PUFFENDORFFIUS L. II. c. 3. §. 15. ubi principium illud assertum invenies. Ex eo officia erga DEUM , & nosmet

nosinet ipsos, non nisi per indirectum deduci possunt, quod nec diffitetur ipse PUFFENDORFFIUS de O. H. & C. L. I. c. 3. §. ult. Cognovit idem THOMASIUS in Fundam. J. N. & G. L. I. c. 6. §. 19. qui ea propter novum etiam assumxit principium, licet, antea se non infelici Minerva propugnasse Socialitatem, dicat l. cit. Opportunum hic nobis visum est, tangere consuetudinem Virorum, quoru[m] fama limina ædiu[m] suarum transgressa, & qui errorum immunes videri volunt. Hi tantum abest, ut a Thesi semel recepta vel latum recedant unguem, ut ima potius misceant summis. Socialitati mordicus adhærentes, officia erga DEUM speciali doctrinæ, Theologiæ sc. naturali vel morali reservabant, officia vero erga se ipsum plane negabant. v. PUFFENDORFFIUS de J. N. & G. L. II. c. 4. §. 19. THOMASIUS in Jurispr. div. L. I. c. 4. §. 75. Cum eos non fugeret, illa officia ex principio socialitatis deduci non posse. Cum hoc principio non sine fundamento facere putat Dn. LEIBNITIUS in denen monathl. Auszügen M. Jul. Ann. 1700. no. 4., Benevolentiam CUMBERLANDII, (quam repertes in disquis. de Legibus Nat. C. I. §. 4.) atque mutuum metum HOBBII (qui petitur ex c. I. tr. de Cive §. 2.) Dubitamus, hic quod mutuus metus HOBBIO velut principium Juris Nat. tribui possit, negamus etiam adseruisse eundem Socialitatem, prouti putat STRIMESIUS in Epicrisi p. 70. Verum nec approbamus dicta a Dn. GRIBNERO in proleg. c. 4. §. 6. n. 1. Probabile esse, Hobbium de unico aliquo principio haud fuisse sollicitum. Contrarium enim edocimus ex HOBBIO c. I. §. 7. & c. 4. §. I. 2. ubi satis evidenter rectam rationem statuit. Socialitati non immerito jungere mihi videor Amicitiam ventilatam a B. RIDIGERO in Philos. pragm. L. II. Sect. I. c. 2. §. 511. & 512. cui sine dubio hoc principium pronuntiatum illud extorxit d. tr. c. I. §. 502. officia erga se ipsum nulla dari. Imo charitatem ZENTGRAVII in tr. de orig. verit. & immutab. rectit. Jur. nat.. atque Amorem PAGENSTECHERI in Syll. Diff. p. 30. addere quid vetat, cum ipse ZENTGRAVIUS in Orig. J. N. p. 93. huic se Societati jungat. Quilibet sine labore colliget, nexus principiorum dictorum supponere etiam nexus errorum, atque minus illa esse adæquata. Nec adæquatum etiam præsumi potest principium apud illos, quibus arridet definitio Stoica Juris

Juris Nat. pr. Inst. de J. N. G. & civ. cum actiones brutorum reducendæ essent ad illud principium. conf. quoad hanc definitionem not. ad §. 13. & ad §. 14.

## §. 19.

Principium oportet esse evidens.\* Ad evidentiā requiritur, ut omnibus, rudibus pariter ac doctis pateat. Causa prima respondet naturæ effectuum, eorumque naturam non penitus deserit. Effectus vero deducuntur ad illam causam, & hoc constituit principium. §. 16. Effectus producere absque aliquali cognitione causæ non possumus, cum causa tam arcta unita sit cum effectibus, & hi ex ea ortum nanciscantur. Principium itaque evidens non potest non esse, ut a quovis effectus reduci possint ad causam primam.

\* Male Ergo Scholastici *perseitatem actionum*, cuius debilitatem v. in not. ad §. 4. principium Juris N. suppeditant. Et minus recte THOMASIUS cit. l. hanc assumit propositionem: *Facienda sunt ea, quæ vitam hominis reddunt, & maxime diutinam, & felicissimam; & contra vitanda, quæ contrarium effectum exhibent.* Duo hic occurunt præcepta *prohibitivum* scil. & *præceptivum*, quapropter primum jamjam attributum non reperi, dici posset. Et licet excusari queat hoc modo, si asseratur: uni præcepto inhærere aliud, præstisisset tamen, si alterutrum etiam suisset exhibitum. Ratione evidentiæ non adeo facilem expectabit veniam. Jus enim Nat. refertur ad homines omnes, quod ipse vi definitionis, datæ in *Jurispr. div. L. I. c. 2. §. 97.* concedat necesse est: Hominibus accensentur infantes, in quos per consequens etiam cadet Jus Nat. Hoc cognoscitur per principium, quod, ne excludantur infantes, iis inesse oportet. At enimvero *consideratio diuturnæ & felicissimæ vita* vix in homine, fama acris judicij celebri, reperietur, quid dicam in infante, in quo vix per potentiam evidētia eiusmodi propositionis præsumi potest. Ut taceam, media illa, quibus vita maxime diuturna & felicissima evadat, cimmerii obvoluta esse tene-

D

bris,

bris, & homines hac ratione non aliquoties, sed quovis momento in Jus Nat. peccaturos esse, actionesque eorundem secundum normam Juris Naturæ institui non posse. Nec assumi poterit, ob deficientem evidentiæ, principium Dn. WOLFFII *in phil. mor.* §. 12. *Id age, quod te & alios perfectiores reddit, omittit, quod te & alios reddit imperfectiores.* Non negamus, omnes homines perfectioni studere, sed quidnam est illud reddens hominem perfectiorem? Hic latet obscurum, quod nullatenus explicari poterit. Evidentiæ repugnat *Voluntas Dei* suppeditata a Dn. H. COCCERO *in Diff. de unico, vero, & adæquato Principio* J. N. §. 13. quæ extat in *Tom. II. junctim editarum no. 18.* Sibi eandem in Editione secunda, cui titulus: *Tractatus Juris Gentium HENR. Filius Dn. SAM. COCCUS P. 1. & 2. in prefat. satis modeste vindicat, quamvis non diffiteatur illud Principium a Dn. Parente singulari & novo modo expositum fuisse.* Vestigia eorum premere placuit Dn. WILLEMBERGIO Præceptorи nunquam non devenerando *in Sicil. Jur. Gent. Prud. l. 1. c. 1. qu. 11.* Uttaceam, hoc principium transgredi naturam effectuum, ipsa *Voluntas Dei*, non omnibus etiam patet. Aut enim sermo hic est de vero DEO, aut de falsis gentilium Diis. Si prius, quod statuitur *ll. alleg.* quivis largietur, non omnes eam nosse; Principium autem neminem fugere debet, cum ipsum Jus Naturæ sit universale. Si vero posterius, iniusta referentur ad Jus Nat. cum illa inculcentur ab idolis. Prolixius disputat contra hoc principium PROELEUS *in Disp. de Orig. divers.* J. N. *Princip. §. 61. seqq.* Principia, STRIMESII *in orig. moral. Diff. 3. §. 11. p. 105.* *Suum cuique tribue;* ac VELTHEMII *ad Grot. l. 1. c. 1. qu. 4. p. 258.* Honesta fac, iam impugnata sunt ex capite evidentiæ a THOMASIO *Jurispr. div. l. 1. c. 4. §. 15.* Status Integritatis adfertus ab ALBERTI *P. 1. c. 1. §. 14.* repugnat quoque Evidentiæ; notitia enim facti aurei Seculi ac Saturniorum temporum Ethnicis cognitionem Status integratatis nondum adjudicabit.

## §. 20.

Principium debet esse indemonstrabile.\*  
Effectus in constitutione principii reducuntur ad causam  
pri-

primam. §. 16. Prima vero illa dici non poterit, cuius alia adhuc superest causa. Accedit, quod omnes effectus concurrere oporteat in causa prima, ubi vero alia datae causae indicari potest causa, non omnes effectus adhibitos esse, patet. Si demonstrationem ordimur a principio, vocatur illa a priori. Prior vero nondum talis causa erit, hinc nec demonstratio a priori, quæ instituitur a causa ultima, & indemonstrabili.

\* Summo cum applausu Principium B. KORTTI, Præceptoris in Philosophicis etiam post fata colendi, *Delectationem* nimirum, non Epicuream (hanc male audire, non Epicurus, quod ostenderunt SENECA lib. 1. de beata vita, GASSENDUS l. 3. de vita & moribus Epicuri. c. 1. WENDELINUS in Phil. mor. L. 2. c. 3. §. 12. seqq. aliique, verum eius auditores *κανόγηλοι* in causa fuerunt) sed innoxiam, cum justo scilicet, honesto atque decoro junctam, olim arripiebamus. Eius tamen edocti exemplo, qui multum recedens ab opinione B. RIDIGERI, non præceptorem, sed veritatem in philosophicis respiciendam esse, demonstravit, illud jam relinquimus principium, cum deprehenderimus, ipsum minime ferre obrusam attributi quarti, sive non esse indemonstrabile. Alia enim causa delectationem innoxiam producens adest, quam in sequentibus nostrum suppeditabit principium. Quoad reliqua principia monemus, omnia fere in hunc allidere scopulum, cum ex alio fonte velut rivuli promanent.

## §. 21.

Præter Principii attributa, præced. 4. §§is memorata, non plura, non pauciora dantur. Attributum dicitur prædicatum rei, fluens ex eius natura. Hanc itaque totam exhaustam oportet, ut evitentur devia. Tota vero exhaustur, omnibus rei enumeratis prædicatis. De enumeratione plenissima constat, si nec plura nec pau-

D 2 ciora

ciora admitti queant prædicata. Non admittuntur plura \* in principio attributa ,præter suppeditata, totam enim naturam principii hæc exhaustiunt, quod patet ex definitione Principii, & demonstratione attributorum, nec non applicatione principiorum falsorum. §§. antec. & not. Nec sufficerent pauciora. Demas enim aliquod attributum, impedies sine dubio cognitionem naturæ Principii. Si primum: contradictionem aliquando non evitabis. §. 17. Si secundum: vel addes , vel detrahes aliquid naturæ principii. §. 18. Si tertium: latet natura eiusdem. §. 19. Si quartum: in causa una, licet non ultima, acquiesces. §. 20.

\* Ab aliis tamen prolata repertus alia e. g. ut Principium sit verum, universale atque domesticum. Sed termini variant tantummodo, priora duo enim nostro secundo, ultimum tertio respondet. Non omnia nostra attributa vero ab aliis adhibita fuisse, hæc potissimum causa, quod principium eorum , his quatuor applicatum attributis, e principiorum numero sponte cecidisset.

### §. 22

## Datur aliquod Principium Juris Naturæ. \*

Jus N. cum sit ratio, voluntatem determinans ad actionem rectam §. 14. versatur circa actiones humanas. Actiones humanæ ad aliquod redigi possunt principium , sequuntur enim naturam effectuum. §. 16. Redigi ergo poterit etiam Jus Naturæ ad illud. Si vero redigi potest , dabitur etiam principium, alias non redigi posset.

\* Unanimis circa hoc axioma consensus superfluum illud reddidisset, nisi peculiaris *Dissertatio* præsenti anno in Academia Fridericana habita in manus venisset nostras, cuius A U T O R περίτον ψευδῶς circa Principium Juris Naturæ ostendere voluit. Sed voluit faltem. Licet enim felici, ut credit, casu, circa suppositum illud, de Principio J. N., in quo alios omnes unguiculos contrivisse jocatur, ipsi fuerit subortum dubium , περίτον ψευδῶς tamen illud

Iudiculneis ostendit, vel si mavis, aliis persuadere conatur argumentis. Primum est: *Non dari propositionem generalem in Matheſi, quam principiis adſirmat niti firmiſſimis, cur itaque requiratur in J. N.* Oppono illud Mathematicorum: Totum maius est ſua parte, Matheſeos eſſe principium. Hoc prius deſtruendum erit ab eodem. Vix autem illum in deſtructiōne, *explicationis Theoriae & Praxeos in promtu excogitata difficultas adjuvare poterit.* Pergit nihilominus in audacia, ſtatuendo; *nullam dari diſciplinam, ſive theoreticam, ſive practicam, cuius ambitus redactus eſſet ad propositionem quandam generalem.* Operæ preſtum fore duximus, monere in antecellum, hanc propositionem generalem coincidere cum principio noſtro: Et licet non omnes propositionem aliquam generalem adhibuerint, ſed cauſam, quam credidere primam; Au- tor tamen Dissertationis utramque conflat: rubrum enim atque ni- grum *falfum ſuppoſitum circa principium* crepan. Reſponſione in proniori jam fluere alveo patet. Ignorat ſcilicet Adversarius Physi- cain, cum effectus in ea a plurimiſ reducuntur ad Elementa. Ignorat Logicain, cuius principium, aliis Senſio, aliis Idea, nec rudimen- tis Philosophiæ imbutum fugit. Sibi nimium fidens ſecundum pro- fert argumentum, dicens: *Investigationem eiusmodi generalis pro- positionis, laborem eſſe affectatum atque fruſtrancum.* Quæris: Cui labor ille sit fruſtraneus? Resp. Primo huius Dissertationis Au- tori. Huic enim *primo feliciter dubium iſtud ſubnatum eſt.* (In manus noſtras jam veniunt LEYSERI *Meditationes ad Pand.* qui Vol. I. Spec. 3 tb. 3, p. 25: primum idem dubium non ſibi vindicat, ſed, *ad co- rum, duntaxat afferit, ſententiam ſe accedere, qui nullum J. N. Princi- pium primum eſſe dicunt.*) Felicem illum! cui *laborē illo herculeo ſuper- ſedere datum eſt.* Nolle tamen ipſum dubii originem *extremo labori,* quo plurimos J. N. Scriptores vidit perplexos, tribuisse, cum malæ oc- caſionem præbeat præsumptioni. *Fruſtraneus labor ipſi videtur ex hoc fundamento: quoniam etiam ſine propositione generali nihil roboris Scientiæ juris naturalis decedit.* Quod erat demonſtrandum. Suppeditatur igitur ratio: *Quia omnium reliquarum Scientiarum demonſtrationis nervo nihil decedit, licet non deducantur ex unica ſolum propositione.* Huius falſitatem indigitavimus in antecedenti- bus, ubi de principio Physices, Logices atque Matheſeos quædam

incidenter monuimus. Necessestas vero principii Juris naturalis ex eo patet, quod actionum, illi velut lydio alicui lapidi admotarum, uno obtutu cognosci queat iustitia vel injustitia. Argumentorum levitas ea cumulare jubet, hinc tertium profertur: *Esse viam illam ambagiōsam, cum multae ambages, prius ad inveniendam propositionem generalem, & postea ad demonstranda ex eadem officia, requirantur, longe faciliorem esse methodum simplicem.* Relinquimus ipsi suam methodi simplicitatem, nos autem ambages non deterruerunt suppositæ, cum tales esse non deprehenderimus. Quicunque enim juris naturalis scientiæ perlustrat viscera, huic principium absque sudore in oculos quasi incurret; & posito, non concesso, initium huius laboris esse difficile, nonne fructus colligimus largissimos, cum egregio ordine officiorum rectitudinem deducere licet. *Laboris arduitatē* Autor quavis fere inculcat lineola, imo ipsam definitionem extremum ipsi visum fuisse laborem, credimus, cum nuspia aliquæ appareat. Sed quartum nos vocat argumentum haustum ex fonte Metaphysico, *ex impossibilitate nimirum in concreto.* Ut alios quisquiliis hisce liberemus Scholasticis, apertius erit loquendum. Mens Autoris hæc est. *Non omnes conclusiones Juris naturæ cognitæ sunt; Ergo minus recte ponitur principium, ad quod omnes effectus deduci queant, cum hi in genere non vero in specie pateant.* Audis Philosophum. Eadem ratione concluderem. Non omnia visibilia in specie scimus, Ergo minus recte, oculum visibilia percipere posse, ponimus. Si in abstracto possibile est, generalis ille conceptus postmodum possibilitatem in concreto suppeditabit. Quid? quod principium adæquatuum esse. §. 18. atque omnes Effectus ad causam primam deduci oporteat. Suarum itaque partium erit suppeditare Effectum non reducibilem (barbara barbaris opponimus) ad causam nostram primam. Verum, ita comparatum est, ut pluri-mi, *inter quorum persuasionem & ipsam rei demonstrationem ingens deprehenditur hiatus,* inani quadam distinctionula oculos mentis fallere enitantur. Distinctiones sane in tantum ignorantiaz praebent asylum, ut de multis sufficiat dixisse: Protulerunt distinctionem. Facile nobis tedium, ex prosequenda argumentorum horum inanum di quisitione obortum, condonabitur. Aliis enim tantummodo verbis, nil novi in medium adducens laborem hunc exaggerat,

eun-

eundemq; minus tutum, cerebrinum, exigui usus, præjudicio autoritatis subnixum & inadæquatum nominat. Argumenta probantia prioris furfuris sunt, quæ etiam tyroni Juris Naturalis refutare non *extremus*, non *herculeus*, non *ambagiosus* fuerit labor. Nimium refutationi dubii huius immaturi sumus immorati; nostrum nos iam vocat Principium.

## §. 23.

**R A T I O** Principium est Juris Naturæ. Jus Naturæ versatur circa actiones humanas, quod patet ex definitione §. 14. actiones ad certum redigi possunt principium. §. 16. quod principium vocatur causa prima. ib. Homines, internos quosdam motus, rationem scilicet atque voluntatem actiones antecedere, sentiunt. §. 1. Hi motus eius sunt successus, ut ratio determinet voluntatem §. 5. causa itaque prima actionum, & principium Juris Naturæ est Ratio.\*

\* Principium hoc eo libentiores amplectimur, cum tantum absit, ut revelatio nobis repugnet, ut ex illa luculentam potius petamus confirmationem. Notissimus PAULI locus est ad Rom. II. 15. in quo *opus legis cordibus gentium inscriptum* dicitur. Nemo, nisi contra clarissima textus verba pronuntiare velit, negabit, PAULUM hic loqui de lege Naturæ. In hoc duntaxat cardo rei vertitur, quid intelligendum sit per *inscriptionem cordibus factam?* Ipsam *Ratio-nem humanam* ab Apostolo intelligi, brevibus evincemus. Primo dicitur v. 14. *Gentes sibi sunt lex.* Gentes vero secundum rationem actiones instituunt, cum Ratio eorundem voluntatem determinet naturaliter. §. 5. Ratio Gentibus inest, & ita sibi Lex sunt. Secundo: Animæ Sedes olim in corde constituebatur. Hinc cogitationes illi inesse, atque ex eo prodire multa loca S. Codicis innuunt. Sic CHRISTUS ait Matth. IX. 4. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* & XV. 19. *de corde exeunt cogitationes malæ.* add. Psal. XXXIII. 11. Esth. VI. 6. Dan. II. 30. &c. ipsa Sapientia cordi tribuitur Deut. XXIX. 4. 3. Reg. X. 24. Ubi anima, ibi ratio: illa enim ratione fese

sese exerit. §. 2. Evidentissimum itaque est, non posse non intelligi rationem per inscriptum in cordibus.

§. 24.

**RATIO est principium unum.** Principium est causa prima §. 16. huius attributum est, ut sit una §. 17. unitas itaque in principio Juris Nat. necessaria. Hoc in ratione consistit. §. 23. Eam principium unum esse, ipse vocis ostendit usus. Non negamus diversam esse rationem hominum; aliis enim verum, aliis autem apparet ab eadem repräsentatur bonum. §. 6. negamus tamen hanc diversitatem obstare unitati, cum acquiescendum nobis sit utrobique, circa originem actionum occupatis, in Ratione.

§. 25.

**RATIO est principium adæquatum.**\* Hoc attributum infert, ut omnes effectus, non plures, nec pauciores, deducantur ex causa prima. §. 18. Omnes actiones, circa quas versatur Jus Naturæ, antecedit voluntas, quæ determinatur a ratione: hinc omnes actiones deducuntur ex Ratione, ac nullæ excipiuntur. Suppedita vero, si lubet, aliquid præter actiones, ut plures effectus constitui queant.

\* CONRINGIUS in Epistola ad Boyneburgum exarata, quam v. apud THOMASIUM in histor. J. N. p. 176. scribit: *Principium Rationis esse nimis forte generale, convenire scilicet omni omnino certa Scientia.* Sed respondemus: Negare equidem non posse, Rationem in omnibus omnino certis scientiis adhiberi, falsum vero esse, quod effectus earundem ad Rationem velut principium quoddam nimis generale reduci possint. AUTOR dubiorum Juris N.c. 2. §. 11. putat, ita si scil. Ratio assumatur pro Principio, *Jus G. & Jus civile non discriminari, quoniam etiam ratione constituuntur.* Respondemus: Jus Gentium non dari, demonstravimus §. 15. Jus civile vero constituitur a Voluntate Principis. §. 13. non a cuiusvis Ratione.

§. 26.

**RATIO est principium evidens.**\* Principii ter-

tertium attributum erat evidentia. §. 19. Hæc nostro quoque applicanda erit principio. Internos ante actionem motus quilibet deprehendit homo §. 1. quilibet etiam semet observans ante voluntatis determinationem, actionem ab utraque parte perpenSAM cognoscit, cum alia Ratione bona a malis discerni non possent, & ratio tamen semper bonum representet §. 4. Nemo ergo nescit, se Rationem habere, illaque a brutis distingui. Humanitatem inde allegantes homines, etiam non ultra plebem sapientes, asserunt: *Bin ich doch kein Hund.* Actionis rectitudo constituit Jus Nat. §. 14. Consequentia vero actionis luculentissime in oculos incurrit, ut Ratio illa sine labore, sine obscuritate dignoscere queat. Vides ergo, quomodo RATIO principium sit evidens.

\* Ex hoc potissimum attributo impugnatur a THOMASIO in *Jurispr. div. L. I. c. 4. §. 7. seqq.* & GERHARDI in *del. J. N. l. I. c. 9. §. 54.* Ratio, sed quod non negligendum est, Recta. Eius opponunt obscuritatem, cum eandem definire maxima sit difficultatis, ac alii potentias instas, alii cognitionis activitatem, alii eam hominis partem, quæ a brutis illum distinguit, per Rationem intelligent. v. II. all. Hoc etiam inconveniens metuunt, quod quilibet Rationem sit allegaturus. In genere respondere possumus: Hanc objectio nem nos non tangere, cum minime crepemus rationem rectam. Quod autem actionem attinet rectam, illa cuivis ostendi poterit a ratione judicante ex consequentibus. Nec si in specie argumenta eorum indagemus, illa nos ferient. Definitionem enim rationis suppeditavimus §. 4. Si vero allegatur ab omnibus, principii potius exinde evinci poterit evidentia, cum rudibus pariter ac doctis pateat. Utinam omnes allegare etiam possent actiones rectas, nullum tunc pecatum in Jus Nat. reperiatur. Sed quot actionibus hominis promoveatur perfectio, multa millena Exempla actionum injustarum æternæ fere mandant oblivioni.

## §. 27.

RATIO est principium indemonstrabile. Hoc vocatur, quod in regressu nullam agnoscit causam priorum rem

rem §. 20. Ratio ultimum est, quod in demonstratione nobis obvenit. Pone actionem; hæc primam capit originem a ratione, uti jam toties inculcatum. Imo homines de actione interrogati, nulla amplius suppetente causa, respondent: *Ich habe es mir selbst befohlen.* In ratione illi subsistunt: hac allegata, omnibus satis se fecisse credunt. Post allegationem rationis extra naturam hominis tibi progrediendum erit, quod tamen pugnat cum definitione principii §. 16. Sed concessa etiam transitione ad Voluntatem DEI, pergendum erit in ἀνθεωποπαθέια, ac tum Ratio nobis Divina occurret.

## §. 28.

**Jus Naturæ assumto RATIONIS Principio est immutabile.\*** Omnes actiones humanæ, quibus ntitur Jus Naturæ, reducuntur ad Rationem. §. 23. velut ad principium unum §. 24. adæquatum. §. 25. evidens. §. 26. & indemonstrabile §. 27. Ratio rectitudinem actionum adhibitis earundem consequentiis ostendit §. 14. Consequentias itaque tollas, ipsam naturam evertas, Rationem, hominemque adeo ex homine exceras necesse est, si illo prius constituto nexu Jus tamen Naturæ mutatum velis.

\* Non defuerunt adversarii immutabilitatem Juris N. adserentes, Rhetorfortus, Szydlovius, aliquique, quos v. apud WENDELINUM in Philos. mor. L. I. c. 34. §. 36. In his refutandis ZENTGRAVIUS in Orig. ver. & immut. rect. J. N. & OSIANDER in typo Legis Nat. desiderarunt. Immutatur Jus N. sive in totum, sive quoad partem tantum, si alicui dispensatio circa actum Juris Naturalis conceditur. Argumenta dispensationem innuentia ex S. deproposita sunt Fœdere, qua aliquatenus inspicere operæ duximus pretium. Proferunt 1) Sacrificium Isaaci, 2) Furtum, sic vocant, Iraelitarum. 3) extirpationem gentium Cananærum. 4) Polygamiam a DEO concessam. Primum petitur ex Gen. XXII. 2. ubi DEUS, Abrahami tentatus obedientiam, aiebat: *Tolles filium tuum, quem diligis, & offeres eum in holocaustum.* Taceo typum, illo sacrificio denotandum; hoc potius urgeo, quomodo dispensatio hic concipi

cipi queat, cum illud finem non attigerit. *Angelus enim Domini de calo clamavit, dicens Abraham: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam; cui etiam mandato obtemperavit Abrahamus, arietemque obtulit holocaustum.* v. 12. 13. In Hodo argumento male furtum imputatur Israelits. Hic non approbare possumus ratiocinium GROTTI Lib. I. c. I. §. 10. *Si Deus res alicuius afferri præcipiat, non licitum fiet furtum, sed non erit furtum, quod vita & rerum supremo Domino auctore fit;* Tanto enim Viro vix dignum nobis videtur. Alia via incedemus. Jure meritoque Israelite aurea atque argentea Ægyptiorum vasa sibi vindicare poterant. 1) enim mercedem Ægyptii debebant Israelitis, qui cogebantur ad servitia. *Exod. I. 13.* cum prius illis terra Gessen tradita fuisset *Gen. XLVII. 6.* mercedem vero ullam Israelitis datam fuisse, nuspian occurrit. 2) *Israel cum omnibus abiit in Ægyptum* *Gen. XLVI. 1.* nullatenus hic dubitandum est, quin Ægyptii, Israelitas iniuste sibi subiectientes, eos quoque rebus suis defraudaverint. 2) Judicem adire nullum poterant; præter enim, quod ex coactione, atque iniusta bonorum contrectatione animatum judicis cognoscerent, accedebat etiam priori iniquitate mandatum injussissimum de occidenda prole. *Exod. I. 16. 22.* Nemo sane his ponderatis circumstantiis dispensationem circa Jus Naturæ factam statuet hoc casu. Illo enim æquivalens in locum rerum amotarum etiam invito Domino eripere non prohibemur. Sed quomodo IIIitium refellemus. Mutuus metus Hobpii, atque exinde resultans bellum omnium contra omnes, paucis nos expediret. Quomodo Ratio? Nec hæc opem suam nobis detrectabit. Ostendit ex revelatione, (revelationem ex revelatione enim explicare par est) 1) terram Canaan fuisse Israitarum secundum promissionem Dei multoties repetitam. *Gen. XII. 7. XVI. 15. 17. XV. 18. &c.* 2) Gentes Cananæas aditu Israelitas arcuisse. *Num. XIV. 45. XXI. 23. 33. Jos. VIII. 14. IX. 2. XI. 5.* 3) Cananæos superstites Israelitis ad idolatriam, scortationem aliaque peccata ansam dedisse. *Num. XXV. 1. 2. Jud. II. 12. III. 6. &c.* 4) Completas fuisse iniquitates Gentium Cananearum, *Gen. XV. 16.* & ob impictates suas illas deletas. *Lev. XVIII. 28. 29. Deut. IX. 4. 5.* Ratio suum occupare, hostem prohibentem etiam cum internecione tollere, occasionem mali quounque modo præcidere, atque improbos desperatae correctionis excidere dicti-

dicitur. Quartum argumentum fere nullum est. Cum enim a Viris Eruditis luculenter sit demonstratum, Polygamiam non repugnare Juri Naturæ; hinc eius prius injustitia demonstranda, antequam objectioni dispensationis locus dari possit.

## §. 29.

Suppeditato Principio RATIONIS, non exulat obligatio.\* Posito Jure, ponitur obligatio §. 12. Obligatio est ipsa ad rectam actionem determinata voluntas. §. Eod. Rectum eluiscit ex eo, si perfectio hominis fuerit promota. §. II. Ast omnes homines perfectioni student. §. 4. Non possunt ergo non rectum eligere, hinc adest determinata voluntas. Quantum vero recto iamjam accedant homines, vel ex illo patet, quod voluntas humana nihil arripiat, nisi representatum fuerit ut bonum. §. 5. Studium sane perfectionis obligationem aliquam infert.

\* Non a vero nos multum aberraturos, credimus, si adseramus PUFFENDORFIUM Rationi principii locum ex hoc denegasse fundamento, quod nulla hic statui possit obligatio. Ipsum audiamus loquente in *Epistola ad Boyneburgum*: *Ille modus non admodum facilis est solutu, quomodo ex mero rationis nostræ dictamine ita possimus obligari, ut contrarium nobis sit illicitum.* apud THOMASIUM in *Hist. J. N.* pag. 163. Modum illum non adeo fuisse difficultem, ostendimus. Hinc Colophonem labori nostro imponentes, officii erga DEUM memores, huic grates persolvimus humillimas pro præstito clementer nobis Auxilio, atque eundem regamus, ut illo Moderante omnes nostras actiones exoptatus sequatur

F I N I S.





Fc 2641

8

ULB Halle  
006 906 567

3





24

AXIOMATA PHILOSOPHICA,  
QUIBUS  
**R A T I O,**  
**PRINCIPIUM JURIS**  
**NATURÆ**

UNUM, ADÆQUATUM, EVIDENS,  
ET INDEMONSTRABILE

SISTITUR

A B

ANDREA SCH  
DANTISCANO

M. ANTONINUS ad se ipsu  
Ratione prædictus es? Sum. Cur ergo  
enim si, quod suum est, fecerit, ec  
requiras?

LIPSIAE,  
LITERIS BREITKOPF  
M DCC XXXI

FC 2641  
KÖNIGLICHE  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

